John Carter Brown
Library
Brown University

ISAACI VOSSII

DISSERTATIO
DE VERA
ÆTATE MUNDI.

Quâ ostenditur

Natale Mundi Tempus Annis minimum 1440 vulgarem Æram anticipare.

HAGÆ-COMITIS.

Ex Typographia ADRIANI VLACQ.

M. DC. LIX.

NOBILISSIMO ET AMPLISSIMO VIRO

GODEFREDO SLINGELANDIO

ISAACUS VOSSIUS

S. P.

PRoculdubio recordaris GODEFREDE SLINGELANDI, vir ampliſſime, non ſemel nobis ſermones fuiſſe de diverſitate opinionum circa mundi natalem; conatumque me fuiſſe perſuadere, neque alte nimium, neque etiam tam prope eſſe pertenda temporum principia, atque faciunt hodierni Iudæi, & quod factum nollem, plerique ſeculi noſtri Chriſtiani. Quandoquidem vero res ea aliquanto fuit prolixior, quam ut familiari colloquio abſolvi potuerit, ac numerorum indigeret inveſtigatione; non male me facturum eſſe exiſtimavi, ſi potiſſima quamobrem ſic ſentiã argumenta ſcripto conſignarem, eaque aliquanto accuratius in ordinem digeſta oculis & judicio tuo denuo ſubmitterem. Vi-

deor mihi non infeliciter calculum posuis-
se, idemne etiam tibi videbitur, valde du-
bito; verum ut ut sit, adeo breviter & per-
spicue sensus meos explicui, ut minime
existimem futurum me fastidio. Non ad
multos hic remitto scriptores, præsertim
cum sciam, quam tibi eorũ displiceat mos,
qui res etiam vulgo notas ex ignotis & ob-
soletis probant nominibus. Sed neq; tem-
porum hic colligo minutias, cum ridicule
mihi feciſſe videantur illi, qui horas & sin-
gula annotarunt momenta, cum de integris
seculis certi nihil adfirmare potuerint. Da-
bitur, ut spero, aliquando otium & hæc
quoq; sigillatim explicandi, nunc majora &
præcipua tantum subducam intervalla, è
quorum cognitione de universi temporis
mẽsura certius aliquid in posterum deter-
minare possimus. Sed ad ipsam rem venia-
mus, quæ quo clarius & manifestius expli-
cetur, paulo altius exordiemur.

ISAACI VOSSII
DE
ÆTATE MUNDI
DISSERTATIO.

CAPUT I.

Mundum nec æternum esse, nec vetustiorem quam Moyses statuerit.

MUndus vel æternus, vel factus. Æternum nemo sanus dixerit. Deo injuriam faciunt qui de opificio ejus nimium sentiunt magnifice, ac hoc ipsi coæternum esse volunt. Sed & intellectui humano vim inferunt, qui statuunt infinitum dari, quod tamen totum è partibus constet finitis. At vero datur ratio physica evidens, quæ evincit mundum habere principium. Si enim esset æternus, jamdudum perpetuo aquarum & fluminum decursu & attritu montes defeciissent, ac plana esset terræ superficies. Idem quoque è scopulis clare colligitur; exesæ quidem sunt eorum radices, stant nihilominus.

Quod ſi ab æterno fuiſſent, jam quoque ab æterno mari fuiſſent obruti. Tempus enim ſi in infinitum producas, jam quoque infinitus erit terminus rei ab quæ æterno neceſſario contigit, quum tamen ratio vetet, ut terminus ſtatuatur, ubi nullum ſit initium. Licet itaque concedatur, ut vel annis mille Platonicis oceanus unam tantum abradat unciam, non tamen efficies ut ſcopuli ab æterno non fuerint conſumti. Certum hinc peti poteſt argumentum habere quoque ſcopulos ſtatam ætatem, & ſi recte calculum ponas, ipſa ſpecuum & antrorum menſura docebit ſpatium temporis quod iis excavandis oceanus impenderit. Cum vero quæ partium, eadem quoq; ſit univerſi natura, ſequitur mundum habere principiū.

Illud autem aut à Deo, aut à ſeipſo. Qui à ſeipſo mundum factum eſſe ajunt, horum non tantum abſurda eſt opinio, cum aliquid à ſe ipſo fieri poſſe contendunt, ſed etiam impia, utpote qua tollatur Dei exiſtentia. Stulte enim dicitur Deus eſſe, ſi nulla ſit ratio quamobrem ſtatuatur. Deus ex ſolis noſcitur operibus. Ipſa illo inſita ac naturalis idea quæ in nobis eſt, quaque Deum comprehendimus, non niſi ex operibus ejus procedit. Qui itaque negat, hoc quod cernimus univerſum ipſius eſſe opificium, tollit quoque argumentum

unde

unde Dei existentiam colligere possimus. Statuamus igitur mundum à Deo esse creatum. Verum neque hic una omnium est sententia. Complures enim ad multas annorum myriadas tempus creationis removent, idque ea credo causa, ut videantur propius accedere ad illos, qui ab æterno hanc machinam fuisse contendunt, ac si finiti & infiniti ulla esset proportio, & non majus foret discrimen inter æternitatem, ac spatium quantumvis enorme, quam sit inter punctum mathematicum & mundum universum. Opinioni suæ patrocinium quærunt ex Babyloniorum Ægyptiorumque antiquitatibus. His addunt nonnulli Seras, quos perperam Sinas adpellant, è quorum accuratissima Chronographia Mosaycæ historiæ veritatem evertere, ac immensam orbis antiquitatem adstruere conantur. Nec sane adeo eos fefellit successus, quin & multos & præclaros etiam viros ad partes suas pertraxerint. Quamvis autem odiose dictum possit videri, dicam nihilominus, non defuisse, qui fortius istas antiquitates adseruerint, quam alij Mosem defenderint. Neque hoc eo, quod vel his faveam, aut de aliis inique sentiam; sed quod contra variarum gentium armaturâ munitos, telis insuper non legitimis utentes; ipsi nudi & armis justo brevioribus confisi temere

in arenam descenderint. Prædictas gentes non tantam sibi tribuere antiquitatem, quantam ipsi illis affingunt, nec Mosaicam historiam in tam arcta spatia esse cõstringendam, quam faciunt hujus seculi Judæi & qui eos sequuntur Christiani, operæ fuerit pretium paucis ostendere. Verum priusquam eruditarum gentium excutiamus annales, inquiremus verum mundi natalem, hoc enim reperto, fient omnia plana, ac ex uno omnia fonte fluere videbuntur.

CAPUT II.

Moysis sententiam de tempore creationis, ex Græca potius translatione, quam ex Hebraico codice esse hauriendam.

CUm itaque supra memoratæ opiniones nec veri, nec vero aliquid simile contineant, superest ut unum sequamur Mosem, ac ut fidei, ita quoque temporis ex illo petamus principia. Sed & hic novum nascitur dubium cum diversis adeo modis ejus sententia proponatur in Hebræis, Græcis, Samaritanis, & Chaldæis apographis, quinam potissimum sint sequendi. Videor mihi jam multos tanquam ex tripode audacter affirmantes audire,

audire, nequaquam dubitandum esse quin codex Hebraicus unus omnibus sit præferendus, eiq; soli tanquam normæ veritatis adhærendum, utpote unde cæteræ versiones promanarint. Bene sane si Mosis haberemus autographum. Adeone vero quis inops judicij, ut existimet adfuisse Deum semper Judæis librariis, ac direxisse illorum manus calamumque, nullam autem curam habuisse eorum qui descripsere novi federis libros, in quibus tanta est lectionum varietas, ut si quis omnes inter se committeret codices, quot verba totidem pene sit inventurus discrepantias? Atqui majoris intererat, ut illi potius quam veteris testamenti libri incorrupti ad nos pervenirent. In Evangeliis & Apostolicis scriptis hanc varietatem & vident & fatentur, idque salva regula fidei fieri potuisse agnoscunt, cur negant ipsum hoc contigisse in Mosaicis & Prophetarum libris? Quis unquam sanæ mentis Dei spiritum aut punctis aut literis, aut vocabulis alligaverit? Esto tamen, ut hoc factum fuisse aliquis existimet. Verum jam longe nobis sanctior esse debebit Samariticus codex, atque Hebraicus. Servant enim Samaritæ scripturam & characteres, qui jam inde à temporibus Mosis in usu fuere. At vero qui vulgo Hebraicus dicitur codex, ille Chaldaicis literis est

exaratus. Certum quippe eſt, teſte beato Hieronymo, Eſdram poſt captivitatem Babylonicam, Chaldaicas invexiſſe literas, iiſque libros ſacros deſcripſiſſe, neglectis veteribus Hebraicis, quæ eædem erant, atque nunc ſunt Samaritice. Si itaque reviviſceret Moſes, ne unum quidē apicem in Judæorū libris adſequereretur, cum literas habeāt à Chaldæis, puncta vero & apices à Maſſoretis.

Deſinant itaque viri boni ſemetipſos decipere, ac Judæorum fabellis aſſenſum præbere. Quæcunque illi tradunt de perpetua & conſtanti librorum ſacrorum conſervatione, meræ ſunt impoſturæ. Poſtremis quidem ſeculis diligentiores fuere in deſcribendis ſacris voluminibus, ac efficiendo eo, ut omnia exemplaria conſpirare viderentur, ſed iſtam æqualitatem induxere Maſſoretæ, & qui illos præceſſere Judæorum Magiſtri, cum antea tanta paſſim in exemplaribus occurreret lectionum varietas, ut ipſi Rabbini fateantur omnia fuiſſe confuſa, vixque aliquid certi è tanta lectionum diſcrepantia elici potuiſſe. Quamvis autem non omnino improbandus ſit Maſſoretarū labor in expurgandis. Sacri codicis erroribus, in eo tamen reprehendendi ſunt quam maxime, quod ſuo ſolum fiſi judicio, dubium adeo & difficile opus aggreſſi ſint neglectis & non conſultis

cum

cũ aliis verſionibus, tum præcipue illa ſeptuaginta interpretum, quam ſi ad partes ſuas vocaſſent, longe felicius veras lectiones à falſis dignoſcere potuiſſent. Cum enim hæc verſio omnium ſit optima antiquiſſimaque, quis adeo ſit pervicax ut non fateatur ſenes iſtos, integriores minuſque à ſe invicem diſcrepantes eſſe ſecutos codices, ac melius percepiſſe ſenſus ſacros, quam poſteri ipſorũ Rabbini, quorũ tãta fuit inſcitia & cæcitas, ſive illa ingenita, ſive pœnæ loco inflicta fuerit, ut ſi unum alterumq; excipias, nunquã niſi caſu verum dixiſſe aut ſcripſiſſe videantur. Bene itaque, ſi quiſquam, de ſcripturis divinis meritus eſt Ludovicus Capellus in præclaro opere de Critica Sacra, qua non tantum oſtendit diſſenſum Judæorum orientalium ab occidentalibus propter diverſitatem lectionum, ſed & nævos & lacunas Hebraici textus plurimas ac multiplicem medicinam quæ cum aliunde, tum præcipue ex illa LXX Seniorum tranſlatione parari poſſit, multis & clariſſimis docuit exemplis. Non me fugit quid de hoc libro ſentiant & Judæi & qui illis favent, verum his auctor ſim ut diligentius legant Capellum, & quidem eo uſque, donec diſcuſſa ingenii nebula lumini adſuefiant, ac agnoſcant ſe in ſole cæcutiiſſe.

CA-

CAPUT III.

Examinatur ratio temporis quod ſecundum codicem Hebræum effluxit à Principio creationis, uſq; ad Diluviũ.

NOn eſt noſtri inſtituti pluribus de his in præſentia contendere, id tantum oſtendemus, Græcam tranſlationem, ut innumeris aliis in locis, ita quoque in annorum ſupputatione longe Hebraicorum voluminum calculo eſſe anteponendam. Hoc quo manifeſtius adpareat, examinabimus tempus quod à Creatione uſque ad Diluvium colligitur, primum quidem ſecundum codicem Hebræum, tum vero ſecundum LXX. ſenum interpretationem. Judæi itaque ſic numerant.

	Anno ætatis.	Supervixerunt.	Vixerunt.
Adam genuit Seth	130	800	930
Seth genuit Enos	105	807	912
Enos genuit Cainan	90	815	905
Cainan genuit Maleleel	70	840	910
Maleleel genuit Iared	65	830	895
Iared genuit Enochum	162	800	962
Enoch genuit Mathuſalem	65	300	365
Mathuſalem genuit Lamechum	187	782	969
Lamech genuit Noachum	182	595	777
Sub Noacho annos nato Diluvium	600	—	

Quamvis Judæi hodierni,& qui eorum ſententiam amplectuntur Chriſtiani, acriter & obſtinate admodum codicis Hebraici ſinceritatem pertendant, nihilque in eo mutatum eſſe à tot annorum millibus audacter adfirment, non tamen adeo diſpiciendum quid ipſi ſentiant, quam quid ſentiendum ſit, præſertim cum neque rationes neque auctoritates adferant ullas, quibus vel ſuam adſtruant, vel aliorum labefactent ſententiam. Ac primum quidem illud non leve argumentum vitiatos eſſe numeros, quod nulla hic juſta ſit proportio inter vitæ & pubertatis annos. Atqui tamẽ Deus ita ſanxit naturæ leges,ut ubi longa vita, iſtic quoque ſera eſſet pubertas. Si quis primorum patriarcharũ vitam examinet, inveniet illos quãto diutius vixerint, tanto quoq; tardius liberis operã dediſſe,nec genuiſſe niſi quinta aut quarta demum ætatis parte peracta. Decreſcente hominum vita, eadem tamen manſit proportio, breviorque ætas, maturiorem ſemper ſortita eſt pubertatem. Cum vero Græca verſio longe juſtius & ordini naturæ convenientius unicuique patriarchæ annos tribuat, quibus alius alium produxerit, ſintque hæc intervalla juxta illorum calculum valde ſibi invicem analoga, nequaquam dubitandum eſſe exiſtimo, quin integriores fuerint codices,quos inter-

pretes illi secuti sunt, atque isti quos hodie sequimur.

Idem ex Iosepho facile colligi potest. Is enim cum Hebræum codicem, non LXX. interpretũ versionem sit secutus, uti infra docebimus, tamen in annis ante diluvium elapsis, cum illis conspirat; unde liquet, hujus seculo in codicibus Hebraicis aliter scriptum fuisse.

Sed neque in Rabbinorum scriptis desunt testimonia unde id ipsum probari possit. In Beresith Raba & passim alibi tradunt Adamum post cædem Abelis per centum triginta annos non persolvisse conjugi suæ jus conjugij. Ut ut autem id fabulosum videatur, adparet tamen exinde, ut nunc in Græca translatione, ita quoque in Hebraicis libris exaratum fuisse olim, neque enim potuit Cain & Abel simul nasci, & eodem quo nati sunt anno alter ab altero occidi.

CAPUT IV.

Proponitur & confirmatur Græcus LXX. interpretum calculus de ſpatio quod Diluvium præceſsit.

VIdeamus nunc ecquid ſit in Græcâ ſupputatione quod merito reprehendi poſſit, in ea anni ab Adamo ad Noachum ſic colliguntur.

	Anno ætatis.	Supervixerunt.	Vixerunt.
Adam genuit Seth	230	700	930
Seth genuit Enos	205	707	912
Enos genuit Cainan	190	715	905
Cainan genuit Maleleel	170	740	910
Maleleel genuit Iared	165	730	895
Iared genuit Enochum	162	800	962
Enoch genuit Mathuſalem	165	200	365
Mathuſalem genuit Lamechum	187	782	969
Lamech genuit Noachum	188	565	753
Anno Noachi Diluvium	600		

Sic anni & tempora ſingulorum concipiuntur in melioribus libris: ſic etiam habet ille omnium antiquiſſimus codex, quem Alexandrinum vo-

 cant:

cant : sic præterea olim in suis exemplaribus reperit Africanus, cum annos 2262. à rerum principio ad diluvium numerat. Eusebius vitiosam secutus scripturam nativitatem Lamechi refert ad annum Mathusalæ 165. unde sequeretur ipsum quindecim annis superfuisse diluvio. Eusebium secuti Hieronymus, Augustinus, alij. Hinc stultissima olim orta quæstio, ubi Mathusalem fuerit durante diluvio. Sed vero calculum Africani & Alexandrini codicis, confirmant codex Hebraicus & Iosephus, secundum quos ad annum Mathusalæ 187 refertur nativitas Lamechi.

Error tamen hic videtur in Noachi tempore natali. Nempe is natus non 188 anno Lamechi, sed vero 182. Sic Hebræus & Samaritanus codices, sic quoque Iosephus. Itaque non dubito, quin ita etiam prius fuerit in versione septuaginta interpretum.

De tempore mortis Lamechi, quænam scriptura sit præferenda, nõ liquet; Nihil hoc facit ad præsens institutum. Sive hanc, sive illam sequaris lectionem, eadem manet annorum summa.

Si itaque prædictos sex annos de tota auferas summa, habebis verum diluvij tempus, annum nempe mundi 2256.

Proxime itaque ad veritatem accessit Africanus,

nus, longius aliquanto abſceſſerunt Euſebius, & qui eum ſunt ſecuti, à quorum calculo quatuordecim deficiũt anni. In Hebraicis vero codicibus tota ſex ſecula deſunt. Omnium vero corruptiſſima eſt Samaritarum ſupputatio, utpotè qui 1307 tantum annos ad diluvium numerent.

Unus Ioſephus, ex iis qui exſtant, intervallum hoc recte taxavit, illum enim quem dixi numerum expreſſit. χρόνος δὲ ἔτος ἀπὸ Ἀδάμου τοῦ πρώτου γενομένου ἐτῶν ὑπῆρχε δισχιλίων διακοσίων πενταήκοντα ἕξ. Judæi aut Græci Judaiſtæ, qui paſſim annos & tempora in hoc auctore reformarunt, & hunc quoque locum corrumpere conati ſunt, reſcribendo χιλίων ἑξακοσίων πενταήκοντα ἕξ. Sed miſeri non animadverterunt, hoc pacto, totam Ioſephi ſupputationem corruere. Siquis enim ſingulorum patriarcharum, quæ memorat ſpatia, componat, is illum, quem diximus, habebit annorum numerum. Præterea cum diſertim ſcribat, ſe quinque millium annorum conſcripſiſſe hiſtoriam, abſurdum eſſet exiſtimare, illum ita computaſſe annos, atque hodierni faciunt Judæi.

Inſignis vero eſt illorum ſupinitas, qui ut Judæis patrocinentur, ex Ioſepho adſtruere conantur, Adamum etiamnum ſuperfuiſſe tempore Lamechi. Nuſquam hoc Ioſephus temerè id adſu-

tum

tum à Gelenio, quod cuique Græcos codices qua vulgatos, qua manu exaratos consulenti, manifestum fiet. Judæorum est fabella, Lamechum de uxoribus conquestum esse apud Adamum, illum his jussisse, ut ad maritum reverterentur ac sui facerent copiam. Istas respondisse Adamo, ut ipse prius suæ satisfaceret conjugi, à qua jam per centum & triginta annos propter scelus Caini esset separatus. Verum quis adeo sit hebes, ut non videat narratiunculam hanc esse ineptissimam? Ex ea sequeretur Lamechum, qui à Setho septimus fuit, diu fuisse antequam Sethus nasceretur. Sane adeo portentosæ sunt Rabbinorum fabellæ, ut ne ægrorum quidem somniis ulla ex parte cedere videantur.

CAPUT V.

Proponitur & rejicitur numerus annorum, qui ex Hebraicis codicibus colligitur, à diluvio usque ad Abrahæ nativitatem.

ATque hæc de annis & tempore ante diluvium elapso secundum hypothesin Mosis, quæ sola vera est, cum cæterarum gentium annales hic vel deficiant, vel absurda contineant, breviter nobis dicta

dicta ſufficiant. Pergamus nunc ad ſequentia ſecula, & examinemus ætates patriarcharum, qui poſt diluvium floruerunt. Quod ſi ſufficere cuiquam videantur rationes noſtræ in ampliando annorum ante Noachum numero, huic certe multo magis ſufficere videbuntur, ea, quæ nunc ſumus dicturi de intervallo, quod eſt à diluvio uſque ad Abrahami nativitatem. Nuſquam à ſe invicem longius abeunt ſacri codices; cum enim vulgo à Judæis huic ſpatio tribuantur anni 292. Samaritani adjiciunt ſex ſecula & dimidium fere, Græci vero octo ferme ſecula. Quamvis autem difficile videatur diſcrepantes adeo ſententias componere, odioſum vero decernere quænam ex iis potiſſimum ſit amplectenda, præſertim cum opinio illa de Hebraici Codicis ſinceritate ita omnium animos præoccupaverit, ut pro impiis habeantur, quotquot ab eo vel minimum audent recedere; tanta tamen apud me non eſt cujuſquam mortaliũ auctoritas, ut huic rationis & intellectus arbitrium abſq; ratione cõceſſerim, nec multorũ licet vel monita vel minæ terrent me, quominus etiam publice quæ ſentiam profitear, quin potius ſi quo veritatis tenentur ſtudio, efficiã ut ipſi errorẽ ſuum agnoſcunt, & ſive argumentis ſive teſtium numero ſit pugnandum, vincã illos argumentis, vincam teſtimoniis.

moniis. Sed adſcribamus & conſideremus calculum Judaicum quem ſolum pro vero habendum eſſe cenſent.

	Anno ætatis.	Vixit annos.	
Ex Sem natus Arphaxat anno poſt Diluvium	2	*Sem*	600
Arphaxat genuit Sala natus annos	35	*Arphaxat*	438
Sala genuit Heber natus annos	30	*Sala*	433
Heber genuit Phaleg	34	*Heber*	464
Phaleg genuit Rehu	30	*Phaleg*	239
Rehu genuit Serug	32	*Rehu*	239
Serug genuit Nachor	30	*Serug*	230
Nachor genuit Thare	29	*Nachor*	148
Thare genuit Abraham	70	*Thare*	205

Quod ſupra monuimus, id ipſum quoque hic obſervare eſt, pro ratione ætatis, nimis hic brevem ſtatui pueritiam, cum longam vitam neceſſario longa præcedat pueritia. Tempus pubertatis ut plurimum tertia aut quarta pars eſt, vitæ humanæ, raro quinta, rariſſime ſexta. Si Arphaxat, Sala & Eber tam mature genuiſſent, utique decimæquintæ generationi interfuiſſent : imo & viceſimam potuiſſent videre, cum conſtet contractiora paulatim facta eſſe generationum ſpatia. Abſurdum autem fuerit credere, aliquem unquam diu adeo interfuiſſe poſteritati ſuæ.

Mirum quoque ſi prædicti & ſubſequentes patriarchæ anno triceſimo & jam ante gignere cœperint,

perint, cum tamen Jſaaci patriarchæ ſeculo, quo vita hominum altero tanto erat brevior, quadrageſimus annus pro juvenili ætate fuerit habitus.

Illud vero non tantum ab omni veriſimilitudine remotum, ſed & abſurdum prorſus, quod juxta hanc ſupputationem Noachus vixiſſet uſque ad annum Abrahami quinquageſimum octavum. Semus vero ſupervixiſſet Abrahamo totis triginta quatuor annis. Atqui Abrahamus à Noacho fuit undecimus. Semus vero duodecimum vel etiam decimumtertium cognoviſſet hæredem; diu ſiquidem juxta Hebraicum calculum cum Jacobo & Eſavo vixit. Adeone quis infelicis ſit judicij, ut hæc contigiſſe exiſtimet? Jam diu ante Abrahamum varia toto orbe regna erant fundata, jam dynaſtiæ aliquot in Ægypto eſſe deſierant, quæ ab auctoribus ſigillatim memorantur, nemo tamen Noachi meminit. Sane ſi iſtis temporibus inter vivos etiamnum exſtitiſſet ille univerſi generis humani auctor & princeps, pleni eſſent gentium annales de hoc miraculo. Sed nec ipſe hoc prætermiſiſſet Moſes.

Jam vero quis credat turris Babylonicæ conſtructionem, confuſionem linguarum, ac diſperſionem gentium factam eſſe vix uno poſt diluvium elapſo ſeculo? Ex ſacris literis manifeſte

hoc tempus colligitur, inde enim nomen inditum Phalego. Atqui tum forsan necdum tertius Noacho natus erat hæres. Huic difficultati ut nonnulli occurrerent, miram commenti sunt methodum ad multiplicandum brevi spatio genus humanum : primos namque post diluvium patriarchas tam fœcundos fuisse dicunt, ut anno ætatis duodecimo, vel etiam prius, liberis gignendis operam dederint. Sed sane etiam si concedatur eos cucurbitarum instar pullulasse, non tamen efficient, ut hæc computandi ratio non sit prorsus ridicula.

Istud vero non absurdum tantum sed & stultũ, & quod fieri minime potuit, octavo & quinquagesimo post diluvium anno apud Assyrios regnasse Ninum & Semiramidẽ. Quotquot Judaicũ sequuntur codicem hoc tempus illis adsignant. Sed si id verum est, quid sentiendum de Belo, & aliis Chaldæorum & Arabum regibus, qui quadringentis & quadraginta annis ante Ninum imperium tenuere ? Quid fiet de variis Ægyptiorum dynastiis, quas certum est, aliquot seculis Abrahamo esse vetustiores ? Quid denique statuendum de Seribus, qui vulgo Sinenses appellantur; quorum accuratissimam chronographiam si sequamur, jam diluvium septem vel octo seculis anticipabit calculum

culum Mosaicum. De singulis inferius nonnihil dicemus. Unum hoc nunc addimus; si tempora subducamus juxta receptam Hebraici codicis scripturam, non gentium tantum historiis, sed & ipsis sacris literis meram inferri noctem.

CAPUT VI.

Proponitur & confirmatur LXX Interpretum de eodem spatio calculus.

AT vero si non hodiernis, sed potius antiquis illis credamus Judæis, septuaginta nempe interpretibus, qui longe integriora secuti sunt exemplaria, jam omnia plana fient, ac nulla prorsus noscatur, subjicia difficultas. Ut hoc clarius cognem LXX. interpretum colligüntur æ juxta versio- ad Abrahami nativitatem.

Sem genuit Arphaxat anno post Diluvium	— 2
Arphaxat genuit Cainan anno ætatis	— 135
Cainan genuit Sala anno ætatis	— 130
Sala genuit Eber anno ætatis	— 130
Eber genuit Phaleg anno ætatis	— 134
Phaleg genuit Ragau anno ætatis	— 130
Ragau genuit Serug anno ætatis	— 132
Serug genuit Nachor anno ætatis	— 130
Nachor genuit Thara anno ætatis	— 79
Thara genuit ..... anno ætatis.	— 70

Neminem, qui hæc leget, futurum puto, qui non mox fateatur, intervalla & ſpatia quæ cujuſque nativitatem intercedunt, longe æquabilius & naturæ convenientius hic ſignari, atque in ſuperiori Judaico calculo. Ut enim vitæ, ſic quoque illi anni, quibus quiſque natus eſt, ſenſim & juſta ratione decreſcunt.

In Cainane vero expungendo prorſus abſurdi ſunt viri eruditi, plus tribuentes Judæis librariis, quam Evangelicæ veritati. Improbe ſentiunt, cum dicunt ſeptuaginta ſeniores, viros ſanctos, propria libidine Cainanem iſtum addidiſſe; multo vero improbius, cum Evangeliſtam horum fraude ſeductum erraſſe affirmant. Quibus ſoctius culpam iſtam imputet errores, præſertim ubi lemne eſt talia ſibi invicem vicina occurrunt; quam fidis interpretibus, quos ut tanti criminis reos peragamus, nulla prorſus vel ratio vel prætextus poteſt comminiſci. Nam quod dicunt caſu aut incogitantia iſta de Cainane eſſe adjecta, id ab omni ratione plane eſt alienum. Si dixiſſent incogitantia librariorum hæc in Hebræis codicibus eſſe omiſſa, non male ſenſiſſent: Hæc vero de Cainane verba ejus ſunt naturæ, ut neque caſu, nec incuria accreſcere potuerint. Pravitate vero

ali-

aliqua esse inserta, non liquet. Fidendum itaque exemplaribus,& credendum auctoritati B. Lucæ, ac totius veteris Ecclesiæ consensui. Cainanem istum agnovit quoque Berosus,cum Abrahamum decimum esse scribit eorum, qui post diluvium nati sunt, uti est apud Iosephum lib. 1. cap. VII.

Minime quoque audiendi sunt, qui septuagesimo Tharæ anno Abrahamum natum fuisse contendunt. Rectius illi qui in annum patris 130 natalem ejus conjiciunt, ac primogenitum fuisse negant, sed dignitatis ergo primo nominari statuunt,quod in[illegible]quoque in Noachi liberis contigit; non enim Sem, sed Japhet maximus natu erat. Argumenta quæ pro vulgari opinione afferunt Scaliger & Petavius frigida sunt, nec confutatione digna. Obscura & intellectu difficilia ex iis quæ manifesta sunt lucem debent mutuare; clara vero & manifesta Sacrarum literarum loca non sunt obscurorum locorum tenebris involvenda. Effluxere itaque à diluvio usque ad natalem Abrahami anni 1132.

C A-

CAPUT VII.

Ex Samaritico codice idem adſtruitur.

PErgamus nunc ad alia, ac confirmemus præcedentis calculi veritatem. Primo quidem ſe offert codex Samariticus, cujus nobis veneranda debet eſſet auctoritas. Is igitur in annis, qui à diluvio ad Abrahamum effluxere, plane cum Græca tralatione convenit, niſi quod Cainanem expungat, ac Arphaxatum quinquennio juniorem faciat, quando Cainanem [illegible] Verum & hic quoque manifeſte librariorum adparet [illegible] phaxato enim tribuitur, quod Cainani tribui debuerat. Non Arphaxat centum triginta erat annorum cum liberos gignere inciperet, ſed Cainan. Hinc clare colligitur, vel expunctum, vel Hebraici codicis auctoritate prætermiſſum fuiſſe Cainanem, ac pro annis quibus Arphaxat genuit Cainanem, ſuppoſitos fuiſſe illos Cainanis, ac ſic duos patriarchas in unum coaluiſſe.

CAPUT VIII.

Idem probatur ex Flavio Iosepho, cujus tota temporum ratio ostenditur.

SUccedat Iosephus, & quid ille de hoc ipso intervallo senserit videamus. Is itaque lib. 1. cap. VI. Antiquitatum scribit, Abrahamum natum esse anno post diluvium ducentesimo nonagesimo secundo. Deinceps singulorum rationes subducens spatium hoc extendit ad annos nongentos octoginta tres. Prior numerus convenit cum Hebraici codicis calculo, sequens vero, nisi quod in quibusdam discrepet, haud longe abit ab LXX. interpretum supputatione. Gravissima multis visa est hæc quæstio, & adeo quidem, ut qui ex hac sese difficultate expedire potuerit, hactenus invenerim neminem. Qui Hebraico favent codici, sic existimant; Iosephum conscripsisse historiam quinquies mille annorum, tantum quippe spatium à creatione usque ad suam ætatem definiri putant in præfatione operis, ac præterea in scripto contra Appionem. Id vero tempus sic distribuunt, ut dicant, tria fere annorum millia expirasse à creatione usque ad obitum Moysis, prout ipse asserit eodem contra Appionem libro, bis mille vero

annos

annos à Moyſe uſque ad everſam à Romanis Hieroſolymam, idque colligi ex præfatione & poſtremo antiquitatum capite. Plana quidem ac facilis prima fronte videtur hæc conciliandi ratio, ſed ſiquis penitius rem inſpiciat, inveniet hoc pacto difficultates in immenſum augeri. Quomodocumque enim diſponantur & colligantur hi numeri, nunquam tamen inde juſtam & probabilem ſummam efficies, quæ vel cum Hebræis, vel Samaritanis codicibus, vel cum Græca tralatione conveniat, aberit ab omnibus quam longiſſime. Sed neque Ioſephus ſibi conſtabit, niſi quis exiſtimet, evertendum eſſe quidquid in eo eſt numerorum. Quandoquidem autem veritati non parum acceſſurum ſit actoritatis, ſi oſtenderimus codices Hebræos ſeculo Ioſephi necdum fuiſſe vitiatos, ſed eadem continuiſſe temporum ſpatia, quæ Græca exhibet tranſlatio; operæpretium fuerit in annos, quibus hiſtoriã ſuam diſtinxit auctor graviſſimus, diligentius inquirere, ac videre num ex ſingularum partium intervallis menſuram univerſi temporis, an vero ex univerſi temporis cognitione de ſingulis partibus certi aliquid pronuntiare poſſimus.

Sic itaque ſentio, Ioſephum cum quinque millium hiſtoriam ſe collegiſſe ſcribit, non loqui de

ſpatio

ſpatio, quod ab initio creationis uſque ad ſuam ætatem effluxit, ſed de eo intervallo quod ſacris continetur literis. Vide initium prioris libri contra Appionem, & præfationem operis antiquitatum, ubi clare docet continuam quinque millium hiſtoriam ſacris comprehendi voluminibus. In ſubſequente tempore, illo nempe quod principium Alexandri Magni, & bellum poſtremum Judaicum interceſſit, conſuluiſſe quidem ſe gentis ſuæ monumenta, verum illa nec ſacra, nec certæ fidei fuiſſe eodē contra Appionē ſcripto affirmat.

Habemus ſummā univerſam, nunc videamus an partes conveniant toto. De tēpore ante diluvium nullum relinqui dubium ſuperius monuimus. Sed neq; in annis qui ab Abrahamo uſq; ad Alexandri magni initium effluxerunt, ulla apud Ioſephū difficultas occurrit. De illo tantum tēpore, quod Diluvium & Abrahami nativitatem interceſſit, controverſia moveri poteſt. Si quis ſingula loca examinet, inveniet ſpatio huic nonnunquā adſignari annos pauciores trecentis, aliquando 343. alibi 383. vel etiā 470. At vero ſiquis patriarcharum ſingulorum ætates ſubducat, inveniet annos 983. Poſteriorem numerum nonnulli ſuſpectum habuere auctoritate Ruffini, perperam tamen. Antiquiſſimus noſter Ruffini codex plane eundem exhi-

bet calculum, quem Græca Iosephi exemplaria. Quamvis autem minime dubitandum sit, quin hæc annorum mensura ad veram proxime accedat, vitiosa est tamen, ac à Judæis in Græcia habitantibus, aut Græcis Judaistis, truncata & variis adeo modis interpolata. Tharam non genuisse Abrahamum anno ætatis septuagesimo quinto, sed 130 ex ipso manifeste Iosepho colligi potest, cum dicit sepulto demum parente in Cananæam se contulisse Abrahamum. In anno natali Tharæ abit & à Græcis & ab Hebræis : centesimo quippe & vicesimo patris anno genitum esse scribit. An errore librariorum hoc factum sit, an vero in suis quos secutus est Hebræis codicibus ita scriptum invenerit, difficile fuerit divinare. Illud certum est, expunctum hic esse Cainanem, illum enim si addideris, habebis veram seriem & mensurã temporum, totaque chronologiæ ratio in Iosepho facilis, manifesta & sibi conveniens erit. Hoc quo clarius cognoscatur, ipsum ordinem quem in digerendis annis tenuit, subjiciam.

Adam

Adam genuit Seth	—	230
Seth genuit Enos	—	205
Enos genuit Cainanem	—	190
Cainan genuit Maleleel	—	170
Maleleel genuit Iaredum	—	165
Iared genuit Enochum	—	162
Enoch genuit Mathuſalem	—	165
Mathuſalem genuit Lamechum	—	187
Lamechus genuit Noachũ	—	182
Diluvium fit anno Noachi	—	600

A principio itaque mundi uſque ad diluvium effluxere anni 2256.

Ex Semo natus Arphaxat anno poſt Diluvium	—	2
Arphaxat genuit Cainan	—	135
Cainan genuit Sala	—	130
Sala genuit Eber	—	130
Eber genuit Phaleg	—	134
Phaleg genuit Ragau	—	130
Ragau genuit Serug	—	130
Serug genuit Nachor	—	132
Nachor genuit Thara	—	120
Thara genuit Abrahamum	—	130
Abraham venit in Cananæam annos natus	—	75
Hinc ad exitum Iſraelitarum ex Ægypto	—	430
Ab exitu vero ad obitum Moyſis anni	—	40

A diluvio ergo uſque ad finem Moyſis elapſi ſunt anni 1718, ab exordio vero mundi anni 3974.

A Moysis obitu usque ad templum Salomonis	—	552
Hinc ad eversionem templi à Nabuchodonosoro	—	470
Hinc ad primum annum Cyri	—	70
A primo anno Cyri usque ad Alexandrum anni plus minus	—	200

A Moyse igitur usquè ad Alexandri magni initium colliguntur anni 1292, à mundi vero creatione usque ad Alexandrum anni 5266.

Hucusque Sacrorum librorum historiam extendit Iosephus, recte quoque illis quinque millium annorum traditiones contineri scribit. Rufinus, qui multa in Iosepho corrupit, verba hæc in præfatione omisit, quod Hebraico codici adversari existimaret. Vides quoque hic quatuor ferme annorum millia numerari à principio ad mortem Moysis. Non recte itaque in scripto contra Appionem τετρακισχιλίους in τρισχιλίους mutarunt.

Absurdum vero maxime fuerit credere Josephum, sacerdotem & legum apud Judæos interpretem neglectis Hebræis codicibus, Græcam secutum esse versionem. Quin potius ex hac computandi ratione sequitur Codices Hebraicos olim cum Græca tralatione conspirasse. Quantumvis igitur Judæi auctoritatem codicis sui elevent, tum linguæ primigeniæ prærogativa, tum quod prophetarum manu sit exaratus, ex supradictis

dictis tamen satis, ut opinor, patet, septuaginta senum versionem, cum multis alijs in locis, tum præcipue in annorum supputatione, multo ad nos incorruptiorem perveniſſe.

CAPUT IX.

Idem ex annis Chaldæorum confirmatur, quorum initia explicantur.

Dicamus nunc eruditarum gentium origines, ac videamus rectene faciant qui Chaldæorum, Ægyptiorum ac Serum antiquitatibus ad evertendam Mosaicæ historiæ veritatem abutuntur. Incipiemus à Chaldæis. Horum enim maxime jactatur vetustas, ut pote qui observationes Astronomicas quadringentorum & septuaginta millium annorum habuisse dicuntur. Sane non dubito, quin Aristoteli ejusque sectatoribus tam enormis annorum series occasionem præbuerit, ut mundum æternum, vel ut ipsi loquuntur, ingenitum esse senserint, cum plerique, qui illos præcessere Philosophi, præter unum Ocellum Lucanum, mundo principium dederint. Sed falso Græculos tantam Chaldæis vetustatem attribuisse, vel unus ille docere possit Callisthenis locus, quem ad

ſecundum Ariſtotelis de cœlo librum ex Porphyrio affert Simplicius. Rogarat Calliſthenem Ariſtoteles, ut in antiquitates Chaldæorum inquireret certioremque ſe faceret. Reſpondit ille, nullas ſe apud Babylonios reperire potuiſſe obſervationes antiquiores annis mille nongentis & tribus, uſque ad captam ab Alexandro urbem. Incidit hoc tempus in annum poſt diluvium ſexageſimum primum juxta vulgarem ſupputationem. Sed ſane nulli tum Chaldæi, nullus rex, non Babylon ipſa, nulla denique cura obſervationum aſtronomicarum. Si vero veterem LXX. interpretum ſequamur rationem, omnis prorſus tollitur difficultas. Annus enim 1903 ante Babylonem captam ſex annis prævertit nativitatem Abrahami, quando nēpe mille jam ferme anni à diluvio erāt elapſi. Multo tamen altius arceſſenda ſunt Chaldæorum initia; diu ſiquidem apud eos regnatum fuit, priuſquam aſtrorum vigeret ſcientia, nec Ninus & Semiramis primi regnum in Babylone tenuere, ſed ante illos ſeptem Chaldaici reges, ac præterea ſex Arabes per annos quadringentos & quadraginta imperarunt. Singulorum nomina & imperij tempora ex Africano ſubjiciam, quia vulgo non recte concipiuntur.

Primi Chaldæorum in Babylonia reges.

I. *Euechous, qui perperam Nimrod esse creditur, annis*	— 6 —	*Mensibus* 8
II. *Chomasbolus regnavit annis*	— 7 —	*Mensibus* 6
III. *Porus annis*	— 35 —	
IV. *Nechubes annis*	— 43	
V. *Abius annis*	— 48	
VI. *Oniballus annis*	— 40	
VII. *Chinzirus annis*	— 45	

Regnarunt hi per annos 225. menses duos. Post hos regnum Babyloniorum obtinuere Arabes, isti nempe.

I. *Mardocentes regnavit annis*	— 45
II.	40
III. *Sisimordacus*	— 28
IV. *Nadias*	— 37
V. *Parannus*	— 40
VI. *Nabonnadus*	— 25

Horum imperium stetit annis 215 usque ad Belum Assyriorum regem, qui expulsis Arabibus Babylonium imperium obtinuit per annos quinquaginta quinque, cujus post mortem demum successit Ninus. A primo itaque Chaldæorum rege Euechoo usque ad Ninum colliguntur anni 495. Quod si initium Nini referamus ad annum sextum priusquam Abrahamus nasceretur, uti monuimus, jam initium regni Assyriorum referendum erit ad

annum

annum mundi 2887, anno post diluvium 631, uno præcise seculo post dispersionem gentium, ac turris Babylonicæ ædificationem, quæ facta est cum Phaleg nasceretur, ut clare indicat scriptura. Vide quam ipse semetipsum explicet historiæ ordo, nec opus sit confugere ad prophetias, ac nescio quas ineptias, quibus dum alij vasta implent volumina, non tantum lectori fastidium, sed & sibi & literis attulere contemtum, improbis vero de Sacrorum librorum veritate præcipuam dubitandi dedere occasionem. Unde autem conflatæ sunt immensæ illæ annorum myriades, quas antiqui auctores memorant, & hujus quoque rei causam breviter expediamus. Sciendum itaque Chaldæis veteribus non tantum cognitissimam fuisse diluvij historiam, uti docent celebria illa Berosi & Abydeni fragmenta, verum etiam eos majorem quam aliæ gentes habuisse notitiam eorum quæ ante diluvium contigissent. Nec sane fieri aliter potuit, cum non tantum familiares fuerint primis patriarchis, sed etiam cognatione junctissimi. Ex illis itaque, vel etiam aliunde, cum nonnihil intellexissent de longævitate eorum qui ante diluvium vixissent, nec tamen exacte vitæ spatium nossent, factum est ut longe diuturniorem illis vitam tribuerint, atque sacræ doceant literæ. Decem

enim

enim reges ab Aloro primo usque ad Xisuthrum, (qui est Noachus, vel potius Semus) regnasse ajebant Saris centum & viginti. Sarum vero conficiunt anni 3600. Sari itaque 120. constituunt annos 432000. Panodorus & Annianus, ut est apud Georgium Syncellum, vastum hunc annorum numerum in dies resolvebant, unicuique Saro tribuentes decennium. Centum itaq; Sari efficient annos 1200. Secundũ hanc rationem per 1200 annos ante diluvium regnatum fuit apud Chaldæos, reliquum vero tempus fuit ἀβασίλευτον. Hæc ratio quamvis nonnullis probabilis videatur, mihi tamen displicet. Fabulosa non sunt ad veritatis normam nimis rigide examinanda. Ego sic existimo, Chaldæos satis accuratam cognitionem habuisse eorum quæ post dispersionem gentium contigere, illinc namque, ut ostendimus, annales eorum incipiunt: diluvij quoque haud levem habuisse notitiam satis ex Berosо & alijs est manifestum, cum non tantum Noæ meminerint, quem Oannem vocant, sed & conjugis, & liberorum, & columbæ, & navigij quo salvi enatarunt, claram fecerint mentionem; sed vero de iis quæ ante diluvium evenere, unum tantum illud cognovisse videntur, totidem fuisse ætates, quot à Moyse memorantur. Uti enim Noë decimus est ab

Adamo, ita quoque Xisuthrus, quo regnante superveniſſe diluvium ſcribunt, decimus fuit ab Aloro.

CAPUT X.

Antiquiſsima Ægyptiorum tempora eruuntur, ac horum quoque teſtimonio præcedens calculus confirmatur.

VEniamus ad Ægyptios, & ipſos magnæ antiquitatis oſtentatores. Siquis annorum, quos memorant ineat numerum, aliquanto quidem modeſtiores Chaldeis fuiſſe videntur, at vero ſiquis immenſum regum ſpectet catalogum, perpetua, ut ajunt, ſerie ſibi invicem ſuccedentium, longe altius origines ſuas aſſeruere. Chaldei enim, teſte Beroſo, ab exordio rerum uſque ad Abrahamum viginti tantum ætates numerant, decem nempe ante, decem item poſt diluvium. At vero apud Manethonem ante Abrahamum aliquot regum recenſentur centuriæ. Et tamen longe recentiores ſunt res Ægyptiorum, utpote apud quos ne diluvij quidem ulla exſtiterit memoria. Demum à rege Mene petenda ſunt eorum initia, hic primus fuit hominum qui in Ægyp-

to

to regnarunt. Annoſam illam deorum ſemonumque ſeriem adjecit gens vaniſſima, ne Chaldæis generis antiquitate cedere viderentur: ac quia mortalia jam dudum deficiebãt nomina deducenda fuere in terram ſidera & planetę, ipſumque exhauriendum fuit cœlum, ne deeſſent pulchra vocabula, quibus Ægyptiacorum regum catalogus inſtrueretur. Sed quandoquidem & locus poſtulat, & quamplures viri eruditi in digerendis Ægyptiorum annis fruſtra laborarunt, recte ut opinor faciemus, ſi aliquanto diutius hic immoremur, tum ut illorum litem finiamus, tum quoque ut noſtrum comprobemus calculum. A Mene itaque incipiendum, nam pleraque quę illum præceſſere tempora, vel omnino fabuloſa ſunt, vel tot involuta figmentis, ut vix ullo ingenio humano aliquid veri ex iis poſſis exſculpere. Non Greci tantum hunc primo recenſent, ſed & ipſi Ægyptij ab hoc regum ſuorum ſeriem auſpicantur. De ætate vero, qua vixit, incredibile eſt quantum à Manethone Ægyptio abeant Eratoſthenes & Diodorus Siculus, Greci quidem hi, ſed tamen & ipſi ſecuti Ægyptios. Horum ſententiam poſtea referam, ac veritati conſentaneam eſſe oſtendam, ubi modum ac rationem quam in adſtruenda Ægyptiorum vetuſtate tenuit Mane-

 tho

tho prius expoſuero. Is itaque à Mene primo Ægyptiorum rege uſque ad Pſammetichum quinque annorum millia & aliquanto amplius numerat. Floruit Pſammetichus Manaſſis & Joſię regum temporibus. Diximus vero ſuperius veteris inſtrumenti libros continere hiſtoriam quinquies mille annorum, ac trium ferme ſeculorum. An forſan voluit Manethon ad normam Judaicarum antiquitatum, Ægyptiaca quoque conformare tempora ? Potuit ſane videre LXX interpretum tranſlationem, utpote quæ ejus ætate facta ſit, & proculdubio vidit. Aufer enim à prędicta ſumma id quod à Pſammetichо uſque ad initium Alexandri intereſſit ſpatium, & ſupererit prędciſe ſumma annorum quinque millium. Hucuſque hiſtoriam ſuam perduxit Manethos.

Verum non hic ſubſtitit flaminis Heliopolitani impoſtura. Non contentus Menem primum Ægypti regem Adamo æqualem feciſſe, altero quoque uſus eſt commento, quo figmentis ſuis auctoritatem conciliaret. Scribit ſe antiquitates iſtas Ægyptiacas hauſiſſe è columnis vel potius lapidibus qui ſint in terra Seriadica, exſtructis à primo Mercurio, dicto Ægyptis Thoyth, quarum ſcripturam Hieroglyphicam poſt diluvium interpretatus ſit Agathodæmon. Quærunt viri eruditi

quę-

quænam sit illa terra Seriadica. Minime profecto quærenda est hæc in Ægypto. Manifeste ejus situm explicat liber Judicum cap. III. v. 26. ubi dicitur Ahod occiso Moabitarum rege evasisse ad montem Ephraim, ac transiisse sculpturas quæ erãt in Seirata. Pro sculpturis vulgo reposuerunt lapicidinas, recedentes à vera vocis Hebraicæ significatione. Recte LXX interpretes reddidere τὰ γλυπτά. Illic nempe erat cippus ille lapideus, quem Judæi credebant à Setho Adami filio esse collocatum, uti docet Iosephus, qui lapidem istum suo etiamnum ævo exstitisse scribit in loco dicto Syriada. Sed apud Eusthathium in Hexaemeron, qui ex Iosepho eandem narrat historiam, loci hujus nomen rectius concipitur, appellatur siquidem ab eo γῆ Σηϊριάδ, ut planum sit eandem signari terram, quæ in libro Judicum describitur ad montem Ephraim haud procul Jericunte. Jam vero concedamus cippos aut columnas istas à Setho fuisse erectas (quod tamen minime credibile) quis tam stulte sapiat, ut existimet Agathodæmonem ex illis hausisse catalogum regum Ægyptiacorum, tum qui ante Sethum, adeoque ipsam creationem mundi, tum quoque illorum, qui aliquot annorum millibus Setho fuere posteriores?

De proposito ac fallaci Manethonis fundamen-

to hęc breviter dicta ſufficiant, nunc modum, quem in digerendis Ægyptiorum regibus tenuit, exponemus. Ex eo quoque cognoſcemus quam mala fide gentis ſuæ vetuſtatem in immenſum pene extenderit. Cum diverſi reguli & Sacerdotes in diverſis Ægypti nomis ſeu prefecturis ſimul regnarint, ille ſingulorum ſpatia ſeparavit, ac ſic longam contexuit ſeriem, annos implicitos in ſolidos permutans. Jam inde ab exceſſu Menę regis varias præfecturas ſeu dynaſtias ortas fuiſſe in Ægypto, ex eo præcipue colligi poteſt, quod cum antiquiſſimæ dynaſtiæ, ſuos quæque numerent regulos, ad unum tamen Menem pleræque initia ſua referant. Thinitarum primus Manethoni eſt Menes. Eratoſtheni & Apollodoro Dioſpolitanorum primus ſic nominatur. Alia eſt regum ſeries, licet ea interrupta ſit, quam Herodotus & Diodorus Siculus recenſent, tamen & hæc quoque à Mene exordium capit. Plurimum vero errant, qui Menem iſtum Thinitem ab altero Mene Thebinite Thebano, Dioſpolitarum primo rege diſtinguunt: nempe ut Manethonis Menem vetuſtiorem faciant, illo Eratoſthenis. Sed vero miror eruditos viros tam leve mendum non animadverteſſe, utrobique enim Thinites reponi debet. This oppidum prope Abydum Ægyptiacam erat ſi-

tum

tum teſte Stephano Grammatico. Hinc fuit Menes Thinites, hinc quoque Nomus Thinites dictus. Recte quoque idem Menes Thebanus dicitur, Thinitę quippe erant Thebani. Sed & in nomine Athothis filij qui Meni ſucceſſit, conveniunt Manethos & Eratoſthenes, unde planum fit & certum, unum tantum Menem fuiſſe, ad quem referenda ſunt pleraque Ægyptiorum primordia.

Clare ſatis ex iis quæ diximus colligi poteſt, pleroſque iſtos regulos, qui à Manethone memorantur, non ſimplici ordine ſibi invicem ſucceſſiſſe, ſed plures ſimul in diverſis nomis eodem tempore regnum obtinuiſſe, nec reges proprie, ſed nomarchas eſſe dicendos. Unus vero ut præeſſet rex Ægyptiis, id nunquam factum videtur, niſi vel occupatis ab hoſtibus, aut ab aliquo nomarcharum tyrannide oppreſſis.

Numerum Nomarcharum quod attinet, illum duodenum fuiſſe exiſtimo. Colligi hoc poteſt ex ipſo quoque Manethone. Si enim divulſas dynaſtias componas, ac auferas Perſarum, Æthiopum, & inſuper Paſtorum Phœnicum imperia, Nomi ſupererunt duodecim, hi nempe; Thinitarum, Memphitarum, Elephantinorum, Heracleopolitarum, Dioſpolitarum Thebanorum, Dioſpolitarum

tarum minorum, Xoitarum, Tanitarum, Bubaſtitarum, Saitarum, Mendeſiorum, & Sebennytarum. Plures quidem erant in Ægypto Nomi, ſed nec antiquitate, nec dignitate cum ſupramemoratis comparandi, utpote qui locum in dodecarchia Ægypti nullum habuere. Ultimi Nomarcharum fuere illi, qui una cum Pſammeticho regnarunt. Verum hunc, pulſis aliis undecim, regnum ſibi ſoli adſeruiſſe, notum ex Herodoto & Diodoro Siculo.

Hæc de Nomis & Nomarchis Ægyptiorum, quia ad præſens inſtitutum faciebant, neceſſario fuere præmittenda, idque eo magis, quod multi fruſtra in hoc argumento laborarunt. Scaliger, ut negotium conficeret, duplicem excogitavit periodum Julianam, quæ annis mille & ſexcentis fere mundi natalem anticipat. Verum nec mentem Manethonis adſecutus eſt, à veritate vero receſſit quam longiſſime. Manifeſtum hoc fiet, ſi neglectis commentitiis Flaminis Heliopolitani annis, vera Ægyptiaci regni initia explicaverimus. Hæc ut habeamus, primum Eratoſthenem ducem ſequemur.

Is igitur genere Cyrenæus, & ferme æqualis Manethoni, ut pote qui natus ſit eo circiter tempore, quo alter tomos ſuos compilavit, ſeriem regum

gum Thebanorum Ægyptiorum ex archivis templi depromtam, à se vero Græce versam, Chronographiæ suæ inseruit. Ex Eratosthene descripsit illam Africanus, ex Africano Eusebius & Syncellus. Habentur illic reges omnes qui Thebas seu Diospolin majorem tenuere à Mene, primo ut ostendimus Ægyptiorum rege, ad Amuthantæum usque. Anni intercedunt 1075 secundum calculum sacerdotum Thebanorum. Africano vero finis regni Amuthantæi incidit in annum septimum vel octavum Ahodi judicis, hoc est anno mundi, secundũ rationes nostras, quatermillesimo. Aufer hinc tempus regni Diospolitani, & supererunt anni 2925. Vide quam accurate omnia in nostro calculo conveniant. Isto enim mundi anno Phaleg annum agebat centesimum & tricesimum octavum. Regnum itaque Chaldaicum triginta octo annis vetustius est Ægyptiaco.

Quamvis autem Heliopolitani sacerdotis mendacia & impostura, vel hoc solo aliorũ Ægypti sacerdotum testimonio satis manifeste producantur & confutentur, quia tamen veritas non uno tantum radio se videndam solet præbere, etiam Diodori Siculi locum indicabimus, unde ipsum hoc quod volumus clare colligitur. Scribit is libro primo Menæ regis posteros, qui

in Ægypto regnarint, fuiſſe quinquaginta duos: illis Buſiridem ejuſque progeniem ſucceſſiſſe. A Mene autem rege uſque ad Buſiridem effluxiſſe annos pluſquam mille & quadraginta, prout habent caſtigatiora Diodori exemplaria. Buſiridis ætas ex Iſocrate colligitur, cum ſcribit, Perſeo Jovis & Danaes filio quatuor ætatibus Herculem eſſe juniorem : Buſiridem vero plus quam ducentis annis ſeniorem. Tribus vero ſeculis Hercules Thebanus Joſua eſt recentior. Si itaque ponamus Buſiridem centum annis poſt Joſuam vixiſſe, quod verum eſſe ex ipſa Herculis genealogia evincitur, jam conſpirabunt ad unguem Diodorus & Eratoſthenes. Quod ſi Euſebium ſequamur, qui Buſiridem collocat ad annum ſecundum poſt obitum Joſuæ, non quidem refragabor, interim nullus dubito quin verior Iſocratis ſit menſura; nam certe error eſt Euſebij, nequid gravius dicam, quod ut cæterorum Ægypti regum, ita quoque Buſiridis annos loco moverit, nimiam omnibus antiquitatem adfingens.

Sed & ex ipſo Manethone veritas quodammodo haberi poteſt. Si quis enim confuſas dynaſtias à ſe invicem ſeparet, ac unamquamq; ſeorſim conſideret ; puta ſiquis dynaſtias omnes Memphitarum componat, ac quartam tertiæ, ſextam quar-

tæ,

tæ, ac ſic deinceps ſeptimam & octavam proxime faciat ſuccedere, non multum à vero aberrabit. Idem quoque continget in Dioſpolitarum minorum divulſis à ſe invicem dynaſtiis, quales ſunt XI. XII. XIII. XVIII. XIX. XX. Dioſpolitarum majorum, ſive Thebanorum regum ſemel tantum fit mentio in fragmentis Manethonis, nempe in dynaſtia XVII. Sed hunc defectum ſupplet catalogus Eratoſthenis, quẽ nobis conſervavit Africanus, quiq; eũ ſecuti ſunt Euſebius & Syncellus. Duo tamen hic præcipue notanda, quorum prius hoc eſt; Manethonem omnium ſequentium dynaſtiarum capita præcidiſſe, ne unum idemque principium habuiſſe viderentur, cum tamen à Mene & Athothe pleræque incœperint. Alterum eſt, in his dynaſtiis compingendis, nequaquam eſſe ſequendum ordinem & calculum Scaligeri. Multum enim à vero receſſit, cum Menem Thebanum à Mene Thinita diſtinguit, ac Thebanorum regum initium collocat ad annum decimum quintædecimæ paſtorum Phœnicum dynaſtiæ. Non parum quoque erravit, quod Moſis nativitatem conſtituerit ad annum XXV Miſphragmuthoſis, qui fuit ſextus rex in decima octava dynaſtia, cum jam diu ante quam decima octava dynaſtia inciperet, Moſes vixerit. Sub primo enim hujus dynaſtiæ rege Iſrae-

 litæ

litæ Ægyptum reliquere, ut ipſa apud Ioſephum teſtantur Manethonis verba. Sed confudit Scaliger Alisfragmuthoſin cum Misfragmuthoſi, & primum dynaſtiæ decimæ octavæ regem cum ſeptimo. Alia ejus errata hic annotare inſtituti noſtri brevitas non patitur; ſufficit oſtendiſſe quomodocumque colligantur anni Ægyptiaci, dummodo commentitium Manethonis calculum excipias, ſemper primordia regni eorum incidere in tempora Phalegi, uno plus minus ſeculo poſt diſperſionem gentium. Nec quiſquam, ut opinor, de firmitate argumentorum noſtrorum dubitabit, niſi qui aut hæc non intelligat, aut veritatem oderit.

CAPUT XI.

Serum origines explicantur, è quibus idem certo evincitur.

VEniamus nunc ad illos, qui non tam ſuo, quam vicinorũ Sinenſium nomine, vulgo cenſentur. Seras dico; genus hominum omnium quodquot unquam fuere longe literatiſſimum. Continuam quater mille & quingentorum annorum hiſtoriam monimentis & annalibus ſuis conditam ſervant. Scriptores habent ipſo etiam Moyſe antiquio-

quiores. Jam inde à principio nullis finitimorum commerciis temerati, non bella novere, non jurgia, otio tantum & voluptatibus & naturæ contemplationi dediti, transegere spatium plusquam quater mille annorum, ignoti quidem aliis mortalibus, cæterum ipsi suæ sibi conscij felicitatis. Ante quatuor demum secula incursione Tatarorum, exteris quoque id regnum patuit, ac præcipue Marco Paulo Veneto & Oderico cuidam. Reduces illi ad suos retulere non miranda tantum, sed & stupenda prorsus. Verum historiæ illorum, licet sint veræ, pro meris tamen fabellis habitæ fuerunt, etiâ à viris cordatis, & adeo quidẽ, ut Ludovicus Vives mirari se scribat bonas horas à quibusdam in talibus collocari nugis. Nec tamen illo seculo, qui veritatem adsereret, repertus est quisquam. Rari illuc se contulere, rariores qui in id regnum penetrare potuerint, qui vero pedem inde retulerit, nemo. Credo non remeasse, pellectos gentis indole & cœli solique clementia ac benignitate, difficile est enim Sericas degustasse delitias, & non penitus obliviſci patriæ & amicorum. Chorographiæ Sericæ interpres, vir minime ineptus, qui multo moderatius de gentis hujus virtutibus scripsit, quam sensit, rediturus ad Seras nec ipse diffitebatur amicis suis, natale etiam so-

lum exilium ſibi videri, & moriturum ſe cito, niſi moriatur in Seribus. Non eſt itaque mirandum, ex paucis, qui olim eo profecti ſunt, præter memoratos duos, nullum omnino eſſe reverſum; cum hodie è multis qui eo ſeſe conferant, pauci admodum redeant, pauciores etiamnum futuri, niſi barbarorum quos dixi immanitas, ſublatis maxima ex parte oculorum animique incantamentis, regnum omnium quotquot Sol adſpexit beatiſſimum, in carnificinam & Cyclopum ſpeluncam convertiſſent. Hoc demum ævo Serum calamitas, Serum nobis dedit notitiam. Quamdiu ignoti cæteris vixere mortalibus, tamdiu fuere felices. Poſtquam ad miſerrimam redacti ſunt ſervitutem, barbaris quibus parent permittentibus, patet ad illos aditus. Miranda artis & naturę opera quę ex hujus regni cognitione ad nos perlata ſunt, non eſt hujus loci recenſere. Ea ſaltem referemus quę de annis & antiquitate gentis comperimus.

Serum itaque tempus hiſtoricum incipit annis ante natum Chriſtum 2847. ſeptem tum ſimul reges habuere, quorum poſteritas per annos ſexcentos quadraginta duravit. Exin regnum Serum devolutum eſt ad familiam Hiaa per annos 441. Huic ſucceſſit Xanga familia, quæ regnavit annis 1144. Dein Cheva familia annis 376, mox Cina fami-

familia annis 40, inde Hana familia annis 460, denique Cyna familia annis 155, regnum tenuere. Postea quinque reges simul imperarunt donec unus totam ditionem invaderet, à quo Tanga familia instituta. Hi juncti regnarunt annis 209. Dein penes quosdam Heutay dictos imperium fuit per annos 305. His successit Sunga familia, quæ cum per annos 355. imperasset, à Tataris penitus extincta fuit. Exinde Serum imperium pene Tataros maxima ex parte fuit, quorum familia dicta Ivena imperium tenuit annis 90. Tatari vero expulsi à Taimingis, quorum familia regnavit 276 annis, ac nunc demum tota, ut audio, deficit, extincta à Tatar is, qui universo jam potiuntur regno. Hi familiam suam Taicingam nominarunt annis ab hinc 14.

A principio itaque regni Serum, usque ad finem præsentis anni, qui est 1658 post Christum natum, colliguntur in universum anni 4505. Si Hebraicum sequamur, jam numerus hic aliquot seculis anticipabit diluvium, sed vero si nostram quis amplectatur computandi rationem, exactissime hic habebimus tempus dispersionis gentium, quam factam esse diximus ante & post nativitatem Phalegi, annis post diluvium 531.

Antiquiorum temporum, quæ præcessere &

mox

mox ſubſecuta ſunt diluvium univerſale, meminere quidem Seres in ſuis annalibus, ipſi tamen nihil certi de iis adfirmare audent, libenterque hic ſuam agnoſcunt ignorantiam. At vero in temporis hiſtorici menſura, illa nempe quam diximus, mirum quam omnes ipſorum ſcriptores conveniant. Quis itaque neget ex hujus quoque gentis certiſſima Chronologia invictum poſſe peti argumentum, quo & illa, quam inſtituimus, ſupputandi ratio, & ſimul Sacrarum literarum veritas ſtabiliatur?

CAPUT XII.

Aliarum gentium opiniones. Examinantur præcipua auctoris de Præadamitis argumenta. Locus Pauli Apoſtoli explicatur. Diluvio totum quidem humanum genus periiſſe, non tamen eo univerſum terrarum orbem obrutum fuiſſe oſtenditur. Epilogus.

NOn deſunt aliarum quoque gentium teſtimonia, unde hæc productior mundi ætas demonſtrari poſſit. Si enim ſuffragiorum numero certandum ſit, erunt nobiſcum Siamenſes ſive Sinenſes, Perſæ, Arabes, Æthiopes aliique, qui omnes à principio creationis, uſque ad præſens tempus ſeptem plus minus annorum millia numerant; ſed quan-

doquidem harum gentium incertior sit Chronologia, ac multis in locis deficiat, nec satis idoneos quos sequar habeam scriptores, verbum ultra non addam. Cui ea quę adtulimus argumenta non sufficiunt, nihil illi satis est. Qui vulgatam & tritam computandi sequuntur regulam, præter Rabbinorum placita, aliud quo se tueantur non habent: nos vero auctoritate veteris scripturæ Hebraicæ, qualis illa fuit antequam à Judæorum magistris interpolaretur; auctoritate septuaginta interpretum, codicis Samaritici, Iosephi Hebræi, omnium Patrum, ac totius primitivæ Ecclesiæ consensu, consensu insuper antiquarum gentium, rationum denique ac argumentotum naturalium pondere sententiam nostram munivimus.

Quamvis autem ipsa veritatis cognitio semper sit jucunda, multo tamen illa est jucundior, quando cum insigni aliqua conjuncta est utilitate: Quis vero aut non videat, aut negare audeat, ad obtundendam eorum impudentiam qui ex profanarum gentium antiquitate sacrarum literarum fidem impugnant, efficacissimum & unum pene esse remedium, ex ipsis gentium annalibus veritatem divinæ historiæ ostendisse?

Quis etiam non agnoscat, vel sola hac adsertione magis corruere scriptoris Præadamitæ conatus,

tus, quam omnibus adversariorum argumentis? Libri hujus auctor licet toties confutatus, licet multis ac magnis propositis pœnis & præmiis mutatus jamdudum sententiam suam deseruerit, superest nihilominus ejus opinio in illa quam reliquit secta, quam avide amplectuntur, quotquot libenter à sacris dissentiunt literis. Quamvis autem varia videantur Præadamitæ argumenta, qui tamen vel modice sapit, facile animadvertet, falsam istam de gentium antiquitate opinionem, præcipuam,&, nisi fallor, unicam scribendi causam fuisse. Nam quod locum Apostoli adtinet, unde opinionem suam adstruere conatur, minime verisimile exinde ita sentiendi occasionem hausisse. Infelices sunt qui in Sacris literis ea se reperire posse confidunt, quibus Sacrarum literarum fides possit destrui. Minime puto id eum in animo habuisse, quin potiùs existimo, diligentissime divinos codices pervolvisse, præteriisse vero loca sententiæ suæ inimica, ac ea tantum annotasse, unde aliquid opinioni suæ consentaneum excludere se posse speraret. Quamvis autem neminem inveniri putem, qui istam ejus expositionem probet, cum lex semper pro lege Mosis, nunquam vero pro particulari aliquo præcepto accipiatur, merito tamen & ille aliorum om-

omnium reprehendit interpretationes, utpote quæ vel nullum, vel abſurdum exhibeant ſenſum. Verba autem Apoſtoli exſtant cap. v. verſ. 13. epiſtola ad Romanos, acita ſe habent; Ἄχρι γὰρ νόμου ἁμαρτία ἦν ἐν κόσμῳ, ἁμαρτία δὲ οὐκ ἐλλογεῖται μὴ ὄντος νόμου. Vulgo ſic verterunt; *Nam uſque ad legem peccatum erant in mundo, peccatum vero non imputatur cum nulla eſt lex.* Miror neminem obſervaſſe vocúlam ἄχρι hic ſignificare, *quouſque, quamdiu.* Vertere itaque debuerant; *Quamdiu lex, erat quoque peccatum in mundo, peccatum vero non imputatur quando nulla eſt lex.* Sententia totius loci hęc eſt; ſicut per unum Adamum cum violavit præceptum divinum peccatum venit in mundum, per peccatum vero mors; ſic quoque in reliquos homines, etiamſi ipſi non peccaſſent, tranſiſſe pœnam peccati, hoc eſt mortem illius, per quem omnes peccaverunt. Deinde dicit mortis regnum fuiſſe & ante & poſt legem, quamdiu enim lex duravit, hoc eſt à Moyſe uſque ad Chriſtum, tamdiu etiam duraſſe peccatum; ſi quidem lex, ut eodem capite docetur, multiplicavit peccatum, ac proinde etiam pœnam peccati. Cum vero dicit peccatum non imputari cum nulla eſt lex, manifeſte indicat tempus ab Adamo uſque ad principium legis. Lex tum non fuit, ac proinde nulla legis tranſgreſſio : vi-

guit tamen pœna tranſgreſſionis Adami, non tantum in peccatoribus, verum etiam in illis, qui non peccarant. Concludit itaque tempus regni mortis duraſſe ab Adamo, uſque ad Moyſem, hoc eſt legẽ Moyſis, quando nempe Chriſtus nos ſanguine ſuo redemit. Moyſem enim accipi hic pro lege, ac pro toto illo ſpatio quo viguit lex, recte jam alij obſervarunt.

Satis quoque ex iis quæ diximus colligi poteſt, minime verum eſſe, id quod idem ille mundanæ antiquitatis adſertor conatur adſtruere, diluvium non fuiſſe univerſale, ſed diverſis temporibus & locis diverſa quoque fuiſſe diluvia. Secundum enim noſtrum calculum diluvium Serum exacte cum Noachico convenit. Conveniunt quoque Chaldæi, & Beroſus, cum Abrahamum decima ætate poſt diluvium natum eſſe ſcribit. Ægyptiorum hiſtoriã eo non pertingere ſuperius oſtendimus. Idem de Græcis ſentiendum, qui licet aliquid de univerſali hac aquarum clade intellexiſſent, in definiendo tamen annorum numero multum à ſe invicem abeunt, ac plus etiamnum à veritate. Quemadmodum enim multæ aliæ gentes, ſic quoque Græci vetuſtiſſima tempora, non per annos, ſed per ætates diſtinxere; quia vero neſcivere primos poſt diluvium homines admodum fuiſſe longævos,

gævos, ac ſeculo & amplius peracto demum genuiſſe, mirum in modum contraxere temporum ſpatia, unicuique ætati viginti quinque aut triginta tantum annos attribuendo.

Nullum itaque relinquitur dubium, quin unum tantum fuerit diluvium, idque univerſale, cujus apud omnes pene gentes exſtat memoria. Verum hic minime eorum probo ſententiam, qui totum terræ globum ita aquis tectum fuiſſe exiſtimant, ut nulla prorſus ejus exſtaret portio. Ad hoc efficiendum multa debuiſſent concurrere miracula. Cum enim univerſæ orbis aquæ non ſufficiant, ad obruendam tam alte terram, etiamſi omnia maria ſiccentur, debuiſſent vel plures aquæ creari, vel dicendum cum aliquibus, iſtam aquarum molẽ ex aliis cæli orbibus decidiſſe, ac denuo finito diluvio ad ſedes ſuas revolaſſe. Verum hoc eſt pie nugari. Deus non facit miracula fruſtra. Quid opus erat illas mergere terras, ubi nec olim fuere homines, ac ne nunc quidem ſunt? Stultum eſt putare ante diluvium adeo multiplicatum fuiſſe genus humanum, ut omnes terræ angulos pervaſerit. Quam tarda & ſegnis tunc fuerit humana natura in producendis hominibus ex eo nobis conſtat, quod Noachus nonus demum fuerit ab Adamo. Quiſquis itaque recte calculum

inierit, inveniet ab octo illis, qui diluvij cladem evasere, usque ad tempus dispersionis gentium, longe plures potuisse nasci mortales, quam ab uno Adamo spatio bis mille annorum. Atqui tamen certum est, ante dissipationem Babylonicam humanum genus modicam tantum Asiæ portionem tenuisse. Longe itaque absunt à veritate, qui existimant Noachi ætate per universum orbem propagatos fuisse homines, qui ne Syriæ quidem & Mesopotamiæ fines forsan excesserant. Ut vero diluvij inundationem ultra orbis habitati terminos producamus, nulla jubet ratio, imo prorsus absurdum, dicere ubi nullæ hominum sedes, illic etiam viguisse effectus pœnæ solis hominibus inflictæ. Licet itaque credamus illam tantum terrarum portionem, quam significavimus, quæque ne centesimam quidem partem orbis universi constituit, solam aquis fuisse obrutam, erit nihilominus diluvium universale, erit œcumenicum, quandoquidem clades fuit universalis, & totum orbem habitatum oppressit. Sic si statuerimus, jam cessabunt ineptæ istæ & futiles quæstiones, quas nonnulli de diluvio moverunt, & simul improbis de Sacrarum literarum veritate dubitandi omnis præripietur occasio.

Verum hæc de Præadamitis obiter dicta sufficiant.

ciant. Ut vero ad noſtrum revertamur inſtitutum, unum hoc antequam deſinam adjiciam, nos non hic novam condere Chronologiam, ſed veterem temere abrogatam reducere. Quod ſi qui iis quæ adtulimus argumentis & teſtimoniis non adquieſcant, amplectantur illi hodiernum Judæorum calculum abſque ratione, ac utantur ingenio ſuo prout libuerit. Sciant tamen quod ſic ſentiendo non veritati tantum fucus fiat, ſed & latiſſima improbis porta aperiatur ad impugnandam Sacrarum literarum fidem, ac vel apud æquos judices de bonis & piis triumphandi. Ut itaque veritati ſatisfiat, ac impiis os obtundatur, addantur ad receptam mundi ætatem anni 1440. jam nulla ſupererit difficultas. Præſens itaque æræ mundanæ annus is eſt 7048.

IN-

73-16a

INDEX CAPITUM.

CAP. I. MUndum nec æternum esse, nec vetustiorem quam Moyses statuerit. I

CAP. II. Moysis sententiam de tempore creationis, ex Græca potius translatione, quam ex Hebraico codice esse hauriendam. IV

CAP. III. Examinatur ratio temporis quod secundum codicem Hebræum effluxit à Principio creationis, usque ad Diluvium. VIII

CAP. IV. Proponitur & confirmatur Græcus LXX. interpretum calculus de spatio quod Diluvium præcessit. XI

CAP. V. Proponitur & rejicitur numerus annorum, qui ex Hebraicis codicibus colligitur, à diluvio usque ad Abrahæ nativitatem. XIV

CAP. VI. Proponitur & confirmatur LXX Interpretum de eodem spatio calculus. XIX

CAP. VII. Ex Samaritico codice idem adstruitur. XXII

CAP. VIII. Idem probatur ex Flavio Iosepho, cujus tota temporum ratio ostenditur. XXIII

CAP. IX. Idem ex annis Chaldæorum confirmatur, quorum initia explicantur. XXIX

CAP. X. Antiquissima Ægyptiorum tempora eruuntur, ac horum quoque testimonio præcedens calculus confirmatur. XXXIV

CAP. XI. Serum origines explicantur, è quibus idem certo evincitur. XLIV

CAP. XII. Aliarum gentium opiniones. Examinantur præcipua auctoris de Præadamitis argumenta. Locus Pauli Apostoli explicatur. Diluvio totum quidem humanum genus periisse, non tamen eo universum terrarum orbem obrutum fuisse ostenditur. Epilogus. XLVIII

F659
V971d
2
CO